

1. *Passio Perpetuae et Felicitatis, capitoli VII-VIII.*

- VII. 1. Post dies paucos, dum universi oramus, subito media oratione profecta est mihi vox et nominavi Dinocraten. Et obstipui, quod numquam mihi in mentem venisset nisi tunc; et dolui commemorata casus eius. 2. Et cognovi me statim dignam esse et pro eo petere debere. Et coepi de ipso orationem facere multum et ingemescere ad Dominum. 3. Continuo ipsa nocte ostensum est mihi hoc. 4. Video Dinocraten exeuntem de loco tenebroso, ubi et complures erant, aestuantem valde et sitientem, sordido cultu et colore pallido; et vulnus in facie eius, quod cum moreretur habuit. 5. Hic Dinocrates fuerat frater meus carnalis, annorum septem, qui per infirmitatem facie cancerata male obiit, ita ut mors eius odio fuerit omnibus hominibus. 6. Pro hoc ergo orationem feceram; et inter me et illum grande erat diastema, ita ut uterque ad invicem accedere non possemus. 7. Erat deinde in illo loco, ubi Dinocrates erat, piscina plena aqua, altiorem marginem habens quam erat statura pueri; et extendebat se Dinocrates quasi bibiturus. 8. Ego dolebam, quod et piscina illa aquam habebat, et tamen propter altitudinem marginis bibiturus non esset. 9. Et experrecta sum, et cognovi fratrem meum laborare; sed fidebam me profuturam labori eius. Et orabam pro eo omnibus diebus quousque transivimus in carcerem castrensem; munere enim castrensi eramus pugnaturi: natale tunc Getae Caesaris. 10. Et feci pro illo orationem die et nocte gemens et lacrimans, ut mihi donaretur.
- VIII. 1. Die quo in nervo mansimus, ostensum est mihi hoc. Video locum illum quem retro videram, et Dinocraten mundo corpore, bene vestitum, refrigerantem; et ubi erat vulnus, video cicatricem : 2. et piscinam illam, quam retro videram, summisso margine usque ad umbilicum pueri; et aqua de ea trahebat sine cessatione. 3. Et super marginem fiala aurea plena aqua. Et accessit Dinocrates et de ea bibere coepit; quae fiala non deficiebat. 4. Et satiatus accessit de aqua ludere more infantium, gaudens. Et experrecta sum. Tunc intellexi translatum eum esse de poena.